I. O.

BARTOLOMAEI MARINONI PLACENTINI AD

Sereniſſ. Mãtuæ Principes VINCENTIVM Gonzagam & MARGARITAM Farneſiam.

In eorum nuptias Carmen.

OTECA NAZ



Viterbij cũ licẽtia ſuperiorũ Anno Dñi M. D. LXXXI.

Digitized by Google

SAluete magnum ter quater incliti
Decuſq;,& orbis gloria Principes
Nuper ſimul iuncti,Deorum
Non ſine numine,nexu amico,
Octauij me ſeruitium Ducis
Caſtrenſibus nunc in regionibus
Detentat,altas nuptias &
Viſere cura negat negoti,
Ergo procul quæ ſpiritus inſitus
Dictat feram,vos diſcite firmiter,
Audite grati Principes hęc
Condita cordibus & tenete,
Habete Magni,munera maxima
Donare poſſim quæ Marinonus hęc,
ſignum meæ ſubiectionis
In Dominos mihi chariores.

VVlgauit Latias poſtquàm vaga fama p̄ vrbes,
Gonzagę vt virgo Farneſia danda marito eſt,
Et connubia pacta,& promiſſos Hymenæos,
Mincius hirſutum fluuio caput exerit alto,
Et dextra incomptos remouens à vertice crines
Exſtillante,tuas proſpexit Mantua turres,
Ac ſuper exultans,diuino numine plenus
Talibus ore ſacro fatorum arcana recludit.
Salue feſta dies,nobis per tempora longa
Expectata diu,terris lux alma quietem
Quæ reuehis felix,renouataq́; ſæcula monſtras
Aurea,nec mundo dudum lux altera fulſit
Gratior,ò Latio & nobis lux optima ſalue.
Scilicet iſtud erat tempus,quod maxima Mãto,
Ardenti poſtquàm tibi ſe coniunxit amore
Promiſſum Tyberine tuum,iactare ſolebat.
Venturam ætatem,ſerò voluentibus annis,
Nympha tui quando gratiſſima fluminis,iret
Coniugio illius felix iungenda nepoti:
Pulchra adeò,quod nec pulcherrima Deiopeia
Pulchrior,aut vero celeberrima Neptunine
Gratior,aut Nymphis præſtantior omnibus Aegle,
Quorum felici naſcatur origine princeps
Maximus armorum virtute inſignis,& aſtu,
Qui rurſum Italicas gentes in barbara cogat
Regna ferox,Romæq́; iterum iam ſuggerat orbẽ,
Naſcere magne puer,cui iam nunc lætus ouanti
Aſſurgo,ſpolia ampla virûm deducta triumphis
Miratus,captaſq́; vrbes, & grandia regna.

Scilicet iſtud erat tempus, quod maximus olim
Fatidicę Mantus, & Thuſci filius amnis
Prædixit nobis, vrbem dum conderet Ocnus;
Venturam ætatem, quandó felicibus iſtis
Lilia florerent, ſuauè redolentia campis;
Nec iā vltra Heſperidū, nec Adonis priſca vetuſtas
Alcinoi, aut Cyri pendentes diceret hortos;
Creſcite felici campo ſata ſemine diuum
Lilia, cæleſteſq; procul diffundite odores
Vſq; adeo, vt cedant, vel quæ Phaſelidos hortis
Naſcuntur, vel quæ Syriæ felicis in aruis
Dant vrbes geminæ, ſeu quæ colit Itala tellus.
Scilicet iſtud erat tempus, quod maximus olim
Conuiuæ Oceanus mihi dixerat affore; quando
Hæc mea iam puris ſpumarent littora gemmis,
Auriferi decepta Tagi cum littore curuo
Margarita nitens, ripis vndaret in iſtis,
Cuius concha mihi venturo tempore tales
Ederet, atq; alias illæ tam diuite vena,
Vt non hæc gemmis, non hæc mea littora ſolum
Spumarent, verûm qui totum amplectitur orbem
Ipſe pater rerum Oceanus nil tale videret,
Nec iam vltra Actiacas, Tyriaſue, aut Stoidos aliæ
Inuideam gemmas, nec quas ſubiecta Canopo
Ignóto, dat terra ferax, vel Boſphorus ingens,
Perſicus aut rubro quas colligit æquore ſinus,
Nec quas Oceano pertimula ditior offert,
Pinnaq;: Non illas, quas felix terra ſub Auſtro
Educat, inuentu modo qua gens accolit Orbē,

Expectata mihi dudum mea gemma venito,
Margarita veni, meus vnio, & vnio verè,
Quæ pacem æternam nobis dulciſſima ſpondes;
Conciliaſq́, duces communi fœdere tantos.
Fortunate autem Princeps, cui munera chara
Obueniunt, cumula lætis altaria donis;
Nec tanti fuerat lautis obtecta ſmaragdis
Lollia, victori nec quæ Regina Latino
Ingentem duro gemmam liqueſecit aceto:
Scilicet hæc illa eſt virgo, quam Parma ferebat
Ipſius ad virides diuino ſemine ripas
Progenitam, raptamq́, ſibi vaga Trebia ſæpe
Ante patrem Erydanum fruſtra doluiſſe ſolebat.
Quam contra placidè ſic eſt ſolatus amatam,
Nympha meæ vires, præ cunctis gratior vna
Virginibus, ne moeſta dole: SIC MAXIMA MVTANT
REBVS FATA VICES: ortus nunc aurea Parma
Vendicat, aſt nuptæ primum grataberis ipſa,
Namq́, illam è Belgis redeuntem prima reuiſes,
Atq, Auiæ amplexu, & chari genitoris euntem
Excipies primum, & Parmam feſtiua remittes
Scilicet hæc illa eſt virgo, quam maxima Thetis
Extulit, ornatam magnis virtutibus olim
Concilio Diuûm magno laudaſſe Mineruam,
Quoq, illam magis ornarent, ſua munera quemq́,
Exibuiſſe Deum, Iouis alti prima fuere
Maieſtas, Iuno regno, Ioue nata dederunt
Tela, & acu, cantu præcellere magnus Apollo,
Pulchra Venus forma cunctis preſtare puellis,

Intrepidi mars eſſe animi ſua triſtia ſolus,
Saturnus tenuit, non vlli accepta Deorum,
Mercurij eximium fuerat facundia munus,
His veniet nobis virgo virtutibus aucta
Tu verò magnis Dijs acceptiſſime Princeps
Exulta, quando te tanta ad munera amicum
Numina magna vocãt, nec enĩ dignata fauore eſt
Ipſa Venus, Paridem gratum pulcherrima tanto,
Talibus auſpicijs, & aui meliore recepta
Fauſta veni, mea Nympha veni, nec longius abſis,
Ardet amans Princeps, & currere tempora lẽtè
Conqueritur, queritur lentas procedere noctes,
Occaſus lentos, lentoſq; redarguit ortus
Phæbe tuos, lentas cupidus ſimul increpat horas.
Fauſta veni, mea Nympha veni, nec longius abſis.
Odit iter longum cupidus, ſalebroſa viarum
Odit amans, pluuias, hyemalia tempora ventos,
Ah, Veneris quotiens virgo formoſa columbas,
Seu pietas gratæ volucres Iunonis amauit
Te curru iunxiſſe tuo, quo interrita poſſes
Aera per liquidum, tantos ſuperare labores.
Angues optaret Cereris, Lyncaſuè Lyæi,
Vel Phaetontis equos, ſi non timuiſſet amanti.
Fauſta veni, mea Nympha veni, nec longius abſis.
Ardet amans cupidus, veloceſq, inuidet alas,
Seu Calais, ſeu Zete tibi, tibi Dædale pennas
Inuidet, angui comę domitor tibi Gorgonis alas
Inuidet, aut Boreæ pennas optauit aquoſi;
Queis Auiæ gremio ſponſ.m complexus amatam

Illæſam citius proprijs ſibi ſiſteret oris!
Infauſtos virgo tandem iam deſere Belgas,
Fauſta veni, mea Nympha veni, nec lõgius abſis.
Iamq, omnes fauſtos, & felices Hymenæos
Conclamant, referunt omnes ſolemnia verba
Ipſe auſpex Hymenæus adeſt, & pronuba Iuno,
Accenſæq, faces, & candida ſpina relucent.
Fauſta veni, mea Nympha veni, nec lõgius abſis
Et colus, & ſuſus tincto cum ſtamine, & haſta
Expectant, Ardet Cereri funale ſuperbum;
Puluinar verò medio in penetralibus altis
Purpureum, argento poſitum tibi fulget, & auro.
Fauſta veni, mea Nympha veni, nec lõgius abſis
Dicite Iò, ter Iò, Hymenæe, Hymen, Hymenæe ò
Iam vehitur nobis, habitum veſtita niualem
Spõſa, tegit gratos cui lutea flammea vultus,
Herculeo præcinta venit, iam farrea cerno
Liba procul, Cumerumq; procul, circũdata crines
Sponſa venit, contexta herbis, & flore corolla.
Dicite Iò, ter Iò, Hymænæe, Hymen, Hymenæe ò
Iam Feſcenninos verſus, & carmina læti
Dicite, iam pura ſponſam conſpergite lympha,
Tuq, adipe ò noua nupta fores exunge lupino,
Ne mala communi noceant medicamina lecto,
Ingredere, & lætos intra feſtiua penates,
Gonzagæ venis ò Farneſia nupta marito.
Dicite Iò, ter Iò, Hymenæe, Hymen, Hymenæe ò,
Splendida ſupremo confunditur aurea luxu
Regia, & auulſo reſerantur cardine poſtes,

Digitized by Google

Apparet tecto interiori perſica gaza;
Vndiq, feſta domus concentibus æthera complet.
Diuinis, paſſim ſparguntur feſta per vrbem
Liliaq, & violæq, roſæ, & bene olẽs Hyacinthus,
Dicite Iò, ter Iò, Hymenæe, Hymen, Hymenæe ô
Collucent flammæ ad cœlum, præq, ignibus ignes
Tolluntur, dat thura focis confuſa iuuentus,
Pars altos conſcendit equos gaudetq, videri,
Exercent alij nitidas de more palæſtras,
Atq, argumentis animos felicibus omnes
Oſtentant lætos, & cerni, & cernere gaudent,
Dicite Iò, ter Iò, Hymenæe, Hymen, Hymenæe ô
Tu cui Muſarum imperium, citharæq, lyræq,
Et dulcis cantus magne obſeruator Apollo
Huc ades, & feſtos non dedignare penates.
Tu Gonzagæam Martis genus armipotentis
Progeniem antiquam, reſonanti diſſere plectro,
Herculis antiquos ab origine Phœbe nepotes,
Nobilis vnde genus traxit noua nupta paternum,
Et naſcituros vero refer ordine natos.
Dicite Iò, ter Iò, Hymenæe, Hymen, Hymenæe ô
Vos ô Caſtalij liquidi gens accola fontis
Pierides, ſummum Diuum genus, & Iouis alti
Progenies, fauſtas voces, cantuſq, mouete,
Corniger Arcadiæ cuſtos, cui fiſtula curæ
Pan ades, & dulci modulatus arundine carmen;
Ludere cantantes inter dignare Camœnas,
Dicite Iò, ter Iò, Hymenæe, Hymen, Hymenæe ô.
Vos ô Naiadesq, & Oreades, atq, Napææ,

Et naryādeſq; & Hīmadryādes, Thetidoſq; miniſtri
Extremis ite Oceani Nereides vndis,
Exercete choros mixtæ, confundite circos,
Immixti Nymphis pueri, puerisq; puellæ,
Nexilibuſq; modis hilares glomerate choræas.
Dicite iò, ter iò, Hymenęe, Hymen, Hymenęe ò.
Vos ſponſi, & proceres poſitis accumbite mēſis
Conuiuę, feſti menſis regale, accumbite amantes,
Quas non Aſſyrij reges ſtrauere, nec olim
Romulides ipſi res dum Romana vigeret,
Hic lętum felix effundit copia cornu,
Ambroſiam magnus cælo rex Iuppiter alto,
Et diuum effundit dulciſſima pocula, nectar
Dicite iò, ter iò, Hymenæe, Hymen, Hymenęe ò.
Iam ſatis indultum eſt ventri, ſat luſibus atram
Produxtis noctem, labuntur ſydera cœlo
Aurea, præcipitantq; ipſis labentibus vmbræ,
Sparge marito nuces pueris, tu ſponſa puellis,
In pugnas, & bella vocant Hymenęus, Amorq;.
Dicite iò, ter iò, Hymenæe, Hymen, Hymenęe ò
Expectat geminos lectus genialis amantes,
Exue virgineum virgo formoſa pudorem,
Quid ſtas? quid dubitas? thalamo ſuccide parato,
Obſequere & votis coniux præclara mariti,
Nec prohibe egregias idea, & mente Deorum
Conceptas animas, mundo per tempora naſci
Quę fæcunda, tua iam nunc conduntur in aluo:
Dicite iò, ter iò, Hymenæe, Hymen, Hymenęe ò
Solue Venus caſtum, iam colluctantur vtriq;

Spemq; ,metumq; inter, virgo generoſa moratur,
Nunc bellatricis cupidæ, nunc inſtar amantis
Amplexus dulces cupit, & pudibunda recuſat,
Inuitat pariter pariterq; infenſa minatur,
Aude autem Princeps,aude,iras inter,& arma
Congredere,intactus legitur flos ſentibus aſpris.
Dicite iò, ter iò, Hymenæe,Hymen,Hymenæe ò.
Claſſica nulla ſonant,belli dent oſcula ſignum,
Dant pacis,motus cieant,& ſiſtere monſtrent,
Oſcula ab inuita primùm rape dulcia,mirum
Oſcula rapta iuuant,iam iam fatigata quieſcet.
Dicite iò,ter iò, Hymenæe,Hymen,Hymenæe ò.
Affer opem,propera,ſuccurre Minerua puellæ,
Quam genus inuictum Martis iam ſubdit,acerbo
Vulnere tacta iacet,nec adhuc miſeretur amanti.
Quæſitis Princeps ſpolijs lętatus opimis,
In pugnā durus redit,& noua vulnera tentant,
Dicite iò,ter iò,Hymonæe,Hymen,Hymenæe ò
Nunc audite ambo,felix,& chara Deûm gens,
Fatidicū oraclum , cecinit quod magnus Apollo,
Nec fera ſors vllis poterit delere diebus.
Accipite hoc hilares , veſtræq; includite menti.
Dicite Iò,Pæan,& Iò,bis dicite Pæan.

Non vidit ſimiles tædas ab origine mundi
Iuppiter,æthereo terras dum ſpectat ab axe;
Nec Thetidis fuerant,fuerant connubia Pelei
Talia,non Hebes tædæ,non Herculis alti
Conſimiles fuerant,non tam bene Liuia nupſit
Auguſto,felix ò tanta coniuge Princeps:

Dicite Iò Pæan,& Iò, bis dicite Pæan;
Neſcius horrifici terroris,magnus in orbe
Naſcetur vobis,magnum qui temperet orbem
Natus,& antiquos Latio qui reddat honores;
Naſcentur vobis magni Regeſq, , duceſq,
Magnanimi;felix ò tanto coniuge virgo.
Dicite Iò Pæan,& Iò,bis dicite pæan:
Nec noua progenies,veſtro de ſemine nata
Pompej inuideat Romæ,vel Cæſaris arma,
Hectora non Troiæ inuideat,non Græciæ Achillē,
Non alios quoſcunq, tulit generoſa vetuſtas.
Dicite iò, Pæan,& Iò,bis dicite pæan.
Franciſci vobis rurſus,rurſuſq, Gelelmi,
Et Friderici rurſus naſcentur,auitos
Qui renouent vobis, Gonzagæ gentis honores.
Dicite Iò Pæan,& Iò,bis dicite pęan.
Ergo agitè,& læti per ſæcula longa nepotum
Viuite concordes,vna ſub carne gemelli.
Dicite Iò pæan ,& Iò, bis dicite pæan.
Dicite iò,ter iò,Hymenæe,Hymen,Hymenæe ô
Talia præfatus liquido ſe condidit alueo
Ipſe Deus,læuum clari Rex magnus Olympi
Intonuit,fulſit radij ſol aureus vrbi.

Finis.

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

Digitized by Google

BIBLIOTECA NAZ.
ROMA
VITTORIO EMANUELE

Digitized by Google